





2. 13.

1725, 14.

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**PALMARIO ADVOCATIS  
PROMISSO**

QVAM  
INDVLTV  
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
DN. FRIDER. ALEXANDRO  
KVNHOLDO

J. V. D. TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REG. JVR.  
PROF. PVBL. ORDIN.

D. XXVII. MARTII M DCC XXV  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
M. ADRIANVS STEGER  
LIPS.

LIP S I A E  
LITTERIS IMMANVELIS TITII.

B. M. Kändler

12

DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
PALMARIO ADVOCATIS  
P. R. O. M I S S O

INDULTU  
ILLISTRIS SCOTORVM ORDINIS  
P. R. A E S I D I T  
D. N. FRIEDR. ALEXANDRO  
V. N. H. O. L. D. O.

1788  
D. N. FRIEDR. ALEXANDRO  
V. N. H. O. L. D. O.  
P. R. A E S I D I T  
ILLISTRIS SCOTORVM ORDINIS  
P. R. O. M I S S O

M. A. D. R. I. A. N. V. S. S. T. E. G. E. R.  
P. R. A E S I D I T

1788





Q. D. B. V.

§. I.



solenne est plerisque qui thematis alicuius pertractationem suscipiunt ab ipsius rei commendatione exordium petere, verum, cum haec de Advocatorum palmariis materia utilitate sua satis se commendet, et novissima

*Instituti ratio.*

etiam Ordinatio processualis Saxonica ad Tit. III. §. I. sub fin. nonnulla de iis disponat, ulterioribus verborum ambagibus facili negotio superfedere poterit. Lauterbachius equidem superiori iamiam seculo Tubingae eandem materiam erudita disquisitione, quae in Vol. I. Dispp. Tubing. XXI ma est, ventilavit, nec diffiteor Virum de Iurisprudentia optime meritum plerisque in locis facem nobis praetulisse non contemnendam; nihilominus

A 2

tamen

tamen nostras quoque meditationes Tua L. B. aequitas non judicabit superfluas, maxime cum in specie ad palmarium promissum respiciant, facilemque dabit veniam, si pro dignitate singula enodare vires non permiserint; cum in arduis vires experiri vitio haud vertatur, et viri etiam, qui in Themidos castris senium contraxerunt, memores sint illius Pomponii ex Juliano in *l. 20. ff. de fideicommiss. libert. citat.* etsi alterum pedem in sepulchro haberem, tamen non pigeret addiscere.

## §. II.

*Palmarii Etymologia, Definitio & divisio.*

Consideraturi igitur palmarium Advocatis promissum, pauca quaedam in genere de Palmarii etymologia, definitione, atque divisione praemonenda esse duximus. Licet enim rerum tractatio semper potior sit, non tamen omnis verborum atque vocum explanatio negligenda, nisi Andabatarum more pugnare velimus. Palmarii autem vocem, quam unica tantum vice in jure nostro, nimirum in *l. 1. §. 12. ff. de extraord. Cognit.* offendimus, a palma, quae ab antiquis temporibus victoriae signum in certaminibus fuit, derivandam esse dilucide satis apparet, & quemadmodum, referente BRVMERO in elegantissimo *ad L. Cinciam commentario p. m. 134. edit. Paris.* Causidici praeter statuas currules et equestres, palmis quoque, foribus eorum, in signum victoriae affixis, a Clientibus honorabantur; ita etiam cum honorario aliquan-

quando palmarium s. pecuniam pro victoria acci-  
piebant; quae vocis significatio plerisque L.L. in-  
terpretibus arrisit: licet *glossa ad l. 1. §. 12. ff. de  
exr. cognit.* ACCVRSIVS ad d. l. FARINAC. *prax.  
crim. quaest. 106. n. 48.* HOTOMANNVS in *Com-  
ment. verb. iuris opp. T. 1. P. 2. p. 822.* illud vocabu-  
lum pro salarii synonymo, et J. GOTHOFRE-  
DVS in *tr. de salario c. 1. th. 7. lit. e.* aliique illud  
adeo late sumant, ut palmarium ipsis dicatur omne  
id, quod Advocato a Cliente promissum, sive illud  
intuitu tantum victoriae ex mera liberalitate, sive  
simul pro opera in causa illa adhibita in eiusque  
remunerationem, praestandum sit. Sed missis, quae  
hic longo agmine adduci possent, allegatis ex DD.  
scriptis petitis, qui huic vocabulo eundem, quem  
nos, sensum attribuunt, ad utiliora progredimur,  
ipsiusque palmarii descriptionem suppeditabimus,  
quippe quod nihil aliud est, quam *Donum ex li-  
beralitate Advocatis a Clientibus praeter consuetum  
salarium victoriae nomine promissum datumve.* Di-  
viditur illud munus s. praemium pro victoria a DD.  
in modicum, et magnum, licitum et illicitum, po-  
tissimum vero in datum et promissum: non raro  
enim evenire solet, ut Clientes faciliores ad pro-  
missiones, quam praestationes sint, et cum apud  
interpretes de promisso plures eaeque discrepan-  
tes extent opiniones, illud quoque paulo solliciti-  
us expendendum esse existimavimus.



## §. III.

*Tractationis  
de palmario  
promisso or-  
do.*

Servabimus autem in Palmarii Advocato promissi tractatione sequentem ordinem: *Primo ad legum naturalium normam* memoratas Patronorum forensium cum Clientibus conventiones exigemus, deinceps *Iuris Romani placita* diversasque DD. opiniones trademus; sequetur *Iuris Canonici* de Advocatorum palmariis pendente lite promissis et juramento confirmatis, sententia, eiusque examen, tandemque *Ordinationis processus Saxonici Electoralis novissimae dispositio* meditationibus nostris colophonem imponet.

## §. IV.

*Pacta sunt  
servanda.*

Docet sana ratio, Consensum liberum satique declaratum, qui quarumlibet conventionum anima est, de re licita et possibili semel praestitum, revocari non debere, nisi fraudes ab uno contrahentium adhibitae, aut mutuus error similisve causa iusta irritam reddat Conventionem, tribuatque facultatem resiliendi ab eo, ad quod se adstrinxerant pacifcentes. Tolle enim humanae societatis vinculum, bona fide etiam haereticis servanda, ab hominum commerciis remota, belloque omnium in omnes occasionem suppeditari, facile intelligitur.

## §. V.

*Quibus Cas-  
tus Jure Na-  
turae palma-*

bus, soli innato Iuri inhaereamus, iudicium fieri potest



potest de pactis advocatorum, et eorum, quorum *rii promissio-*  
 causas agunt, quibus, in victoriae eventum, ad pal- *nes damnen-*  
 marii, quod dicunt, praestationem se adstringere *tur,*  
 solent. Equidem, diversos Casus considerantes,  
 palmarii promissionem Iure Naturae neque damna-  
 ri simpliciter, neque probari, sed de eo iudicandum  
 esse ex circumstantiis, cognoscimus. Quodsi enim  
 dolo inducantur Clientes, ut causa obtenta praemia  
 solvant, aut concussionibus perterriti ad consen-  
 sum accedant, nullius momenti erunt Conventio-  
 nes, quod etiam tum obtinere necesse est, cum  
 prohibitae sunt de palmario pactiones ab eo, qui  
 legitimus in nos Imperium est consecutus, et ca-  
 sibus obvium itum, qui plerumque huius generis  
 promissiones solent comitari.

§. VI.

Sed alia ratio est eorum, qui, vel pendente *quibusque*  
 vel finita lite, ultro, aut rogati, se ad palmarii prac- *pro licitis*  
 stationem adstringunt. Quamvis enim ad calu- *sint haben-*  
 mniandum et delinquendum videantur invitare  
 eiusmodi pactiones; vitio tamen illud personarum,  
 non conventioni dandum est, quando illicitis mo-  
 dis ad fallendos alios, et victoriam reportandam,  
 vtuntur Rabulae, spe lucri, cuius ipsis interdum bo-  
 nus odor est ex re qualibet, allecti. Accedit et  
 illud, in Casibus §. superiori non exceptis, donatio-  
 nis instar esse palmaria, quae ab iis, qui rerum sua-  
 rum habent administrationem, modo non laesio-  
 nem officiorum erga Deum, proximum vel nosmet  
 ipsos



ipfos involvant, et in prodigalitatē aut simile vitium degenerent, suscipi possunt.

§. VII.

*Digesto historica ad legem Cinciam.*

Discipiamus nunc quid Juris Romani placita de palmariis promissis disponant. Quoniam vero solida LL. Romanarum interpretatio e Juris historia commode petitur, nemo, opinor, mihi dabit vitio si paucis ad Legis Cinciae dispositionem digrediar, eamque quantum instituti ratio fert, explicem, talique ratione et meditationibus hisce aliquid lucis affundam. Instituerat iam Romulus patrocinium, ut quisque plebeius, quem vellet ex patribus sibi eligeret, a quo in clientelam susceptus defenderetur. Gratis obibant hoc munus patricii, aptissimumque illud putabant conciliandis civium animis, exactis denique regibus ad causarum oratores, qui ex patriciis et senatoribus constabant, soloque famae et virtutis nomine, minime vero turpi quaestu allekti, causas plebeiorum orabant, patronorum nomen transferebatur, quae gratuiti patrocinii praestatio cum maximum clientibus incitamentum esset, ut non modo verbis, sed re ipsa etiam gratos se erga patronos exhibendi occasiones quaerent, et diebus Natalibus, Calendis Januarii, saturnalibus, Natalitia, strenas atque xenia mitterent; factum est ut, irrepentibus in forum rabulis, ista grati animi testimonia in debiti necessitatem transformata fuerint, et juxta *Livii L. 34. cap. 4.* plebs senatui causarum

farumque patronis stipendiaria esse coeperit. M. Cincius igitur Trib. plebis antiquam restauraturus consuetudinem anno V. C. 549. plebiscitum rogavit, cuius caput primum, referente *Tacito Annal. XI. cap. 5.* cavebat: NE QVIS OB CAUSAM ORANDAM DONVM MVNVSVE ACCIPIAT, (quod plebiscitum FRIDER. BRVMMERVS *Lipsf.* eruditissimo commentario illustravit, cuiusque lectioni pleraque hic relata debeo.) Postea Augustus Imp. primum hoc legis Cinciae caput, contemptu oppressum, renovavit, teste DIONE CASSIO *lib. 54.* iterata vero defuetudine abolitum Claudius temperavit, atque prohibuit, ne oratores ultra dena fertia caperent, quod denique TRAIANVS, pro-  
uti PLINIVS iunior, *l. 5. ep. 21.* memoriae proditum reliquit, ita limitavit, vt omnes litigantes iurarent, antequam agerent, nihil se ob advocacionem cuiquam dedisse, promississe, cauisse; peractis tamen negotiis permittebatur pecuniam decem milium duntaxat dare.

§. VIII.

Sed prudentissimam hanc Traiani limitationem, quoad primum caput, breui expirasse, satis testatur PAVLVS in *l. 38. §. 1. ff. loc. cond. & l. 1. §. 1. ff. de promissis dispositio.* *Cod. de condiel. ob caus. dator.* eamque ob causam promissionem cautionemque honorarii ante litem licitam fuisse, constat ex *l. 3. Cod. de postul. & l. 4. Cod. de Condiel. ob caus. dat.* quare Causidici turpi lucro allekti pretium illud non expectabant,

B

sed

sed sibi stipulabantur atque cauebant, vel vt honorarium simpliciter, siue causam obtinuisent nec ne, vel PALMARII, i. e. praemii pro victoria causae honorario addendi nomine, nec dubitandum est quin Patroni multos Clientum siue simplices ac credulos, siue improbitate potius quam causae iustitia victoriae cupidos, ad palmariorum, cautiones sine negotio induxerint, speque victoriae ipsis facta, loculos eorum satis aperte emunxerint, quapropter Imperatores in *l. 1. §. 12. ff. de extr. cognit.* de honorariorum cautionibus consulti, eas, quae post causam actam, vel simpliciter, vel PALMARII nomine, factae fuerint, validas esse, et ex iis cautum, usque ad licitam quantitatem, peti posse responderunt: Quae legis verba cautiones quidem suspensa s. contestata lite factas illicitas pronunciant, de stipulationibus vero cautionibusque, ante litem coeptam, plane silent, quippe quae, vti ex supra allegata *l. 3. Cod. de postul. Et l. 4. C. d. condict. ob caus. dat.* apparet, procul dubio licitae erant.

## §. IX.

*Discrepantes  
de Palmariis  
promissis DD.  
opiniones.*

Hinc LL. Interpretes atque Causarum patroni, quia de marsupio agitur, vti BRVNNEMANNVS in *tr. de Cess. action. c. 2. n. 48.* de hac materia iudicat, promissionem praemii in victoriae euentum, seu pactionem de palmario *arg. l. 1. §. 12. ff. de extr. cognit.* non modo licitam, sed, etsi ante litem facta sit, legitimam validamque esse asseruerunt. GAIL. *L. 1. obs. 44. n. 2. SALYCETVS in L. ad litem*

*litem. Cod. de procur. CAMILL. BORELL. decis. 65. BERLICH. p. 1. Conclus. 9. n. 76. § 77. CARPZ. Respons. Electoral. 1. n. 14. 16. IACOB. BVKITIVS in Tr. de Officio Advoc. cap. ult. aliiq. a FARINACIO in pr. crim. quaest. 106. n. 48. seqq. p. m. 508. citati: Imo Curiam. Mechlinensem Advocato palmarium ante litem in victoriae casum promissum adjudicasse ex PAUL. CHRISTIN. Vol. 2. decis. 99. n. 27. constat. Plerique tamen DD. in casu, quo palmarium Advocatis ante litem promissum fuit, distinguunt, an, ultra debitum et legitimum salarium palmarii nomine modicum, an vero magnum quid sit promissum, et priori in casu pactum de palmario, etiam ante litem coeptam in initum, legitimum, posteriori vero casu invalidum esse tradunt. Trentacing. l. 2. tit. de postul. resól. 1. n. 4. Et quia dissentientes DD. l. 7. ff. Mandat. § l. 6. §. 2. C. de postul. objiciunt, ad l. 7. ff. Mand. respondere assolent loqui eam de maiori pecunia, qua lis quasi redimitur non vero de modico palmario. L. 6. §. 2. C. de postul. autem restringendam esse vel ad pactum quotae litis, propter concussionis metum, vel ad pactum post litem coeptam in initum, conf. BERGER in Resolut. LL. obstant. p. m. 84. STRVIUS in Evolut. Controvers. in Syntagm. Iur. civ. p. m. 112. Verum enim vero audiatur et altera pars, et examinemus quoque eorum rationes, qui omnem palmarii promissionem, ante litem finitam, prorsus illicitam esse contendunt. Provoeant hi,*

ex quibus imprimis ZIEGLERVM in *Rabulif.* c. 18. p. m. 126. BRVNNEMAN. ad d. l. 5. et 6. *Cod. de postul. et ad l. i. §. 12. de extr. cognit.* BARBOSAM ad l. 5. *Cod. de postul.* et FARINAC. pr. *crim. qv. 106. n. 48. p. m. 508.* consulimus, potissimum ad l. 5 et 6. §. 2. *Cod. de postul.* quarum posterior Advocato omnem pactionem, atque contractum cum eo litigatore, quem in propriam fidem recepit, interdicit; et duplici quidem causa, primo, quia omnino metuendum est, ne in legum fraudem de parte litis aliique interponantur contractus, denique quia per eiusmodi contractus fenestra aperiretur advocatis ad vexandos concutiendosque clientes, a quibus, per occasionem causae susceptae, facile quidvis extorquerent ne noceant. *conf. ZIEGLERI Rabul. c. 18. §. 5.* Et licet, prouti iamiam observavimus, STRVVIVS atque BERGERVS d. l. *Cod.* vel ad pactum de quota litis, vel ad pactum post litem coeptam restringendam, in pacto vero ante litem coeptam nullam concussionis suspicionem, calumniaeque metum subesse affirmant, dummodo palmarium promissum *arg. l. 5. Cod. de postul.* modicum sit, parum tamen roboris habet haec responsio; cum in l. 6. §. 2. *C. d. postul.* omnes pactiones contractusque inter clientem atque Advocatum interdiciantur, nec de quota litis mentio iniiciatur: adhaec etiam ZIEGLERVS in *Rabul. c. cap. §. 7.* bene regerit, vere hoc pactum de palmario cum pacto de quota litis certa ratione coincidere, et, si ante litem finitam praemium

mium in victoriae adeptae casum advocatis promissum fuerit, periculum omnino subesse, ne inducantur ad causam calumniose agendam, atque, tali compendio capti, per fas et nefas et per mendacia grassentur ad victoriam obtinendam praemiumque illud consequendum. Illatio autem ex *l. 5. Cod. de postul.* de palmario modico dubia est, et cum pactum de palmario, per ante dicta, quodammodo coincidat cum pacto de quota litis, illud vero, etsi de minima re fuerit, omnino non valeat, certe etiam pactum de palmario in victoriae eventum praestando nullum habebit effectum, conf. BRVNNEMANN. *ad d. l. Cod.* et BARBOSA *ad l. 5. Cod. de postul. n. 8.* Quodsi igitur pactum de palmario, ante litem coeptam, illicitum est, et cliens ex tali pacto Advocato praemium iam solvit, nulla datur Clienti conditio *arg. l. 8. ff. de condict. ob. turp. caus. et l. 2. et 5. Cod. eod.* Sed fisco, tali in casu, praemium solum adiudicandum est. *l. 9. ff. de iure fisci*, si vero palmarium tantum promissum, nulla Advocatis ad id consequendum competit actio. Sed reliqui DD. qui contrariam communemque opinionem amplectuntur; et palmarii modici promissionem ante litem finitam susceptam validam pronunciant, victoria adeptae, et a Cliente solutione negata, advocato vel actionem ex stipulatu, vel conditionem ex lege, *l. 22. ff. l. 35. §. 5. C. de donat.* competere existimant.

## §. X.

*De palmaris  
post causam  
actam promissis.*

Mittamus vero, quae fatis nos detinuit, palmaris promissionem ante litem finitam, usu quidem haecenus frequentatam, sed novissima Ordinatione processus Saxonici reprobata, et potius palmarium, post causam actam promissum, inspiciamus. Licitam esse eiusmodi pactionem nemo forsitan dubitabit, quippe quae non in eventum victoriae, sed ob reportatam victoriam, causamque feliciter peractam a Cliente in grati animi tesseram, aut statim exsolvi, aut promitti, posse, vi *l. 1. §. 12. de extr. cognit.* cum BRVNNEMANN. *ad d. l. FARINAC. quaest. 106. n. 50.* MENOCH. *l. 2. A. Q. cas. 522. n. 3.* firmissime concludo, licet fatear, causarum patronum saepe imprudenter agere, qui eiusmodi pactis, etsi licitis, operae suae praemium speciale cauponatur, potius si ab hac imputatione immunis esse velit, expectet a Cliente honorarium aut palmarium, quam ut paciscendo, flagitandoque illud extorqueat: grave enim, ut recte alicubi monet Cicero, homini ingenuo est petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petit, exigere magis, et in mercedis potius, quam beneficii, loco numerare videatur.

## §. XI.

*De palmaris  
promissi quantitate et qualitate.*

Non immerito autem quaesitum fuit, utrum praemium illud, victoriae intuitu a clientibus Advocatis promissum, praeter pecuniam alias quoque res, in



in commercio hominum existentes, comprehendat, nec ne? et facilis quidem huius quaestionis est solutio, cum enim palmarium procul dubio donationis species sit, omnes vero res mobiles & immobiles, corporales et incorporales donari possint, apparet, non modo pecuniam, sed et alias quoque res, *a. l. 2221 ff. d. V. S.* imo secundum BRVN-NEMANN. de *cession. action. n. 49. 50. & 60.* ipsas quae in lite fuerunt, palmarii nomine, in Advocatum a Cliente, qui rerum suarum administrationem habet, *l. 12. C. de donat.* non vero ab administratoribus alienarum rerum, ut curatoribus & tutoribus donare prohibitis, *l. 22. ff. d. admin. tut. l. 16. C. eod.* CARPZ. *p. 2. C. 11. def. 48.* post litem finitam transferri posse. Quantitatem denique palmarii promissi quod attinet, ante omnia monent DD. ut certum quid promittatur, quod si enim generalibus nimis verbis Cliens Aduocato palmarium promittat v. g. si dicat, praeter salarium tibi praestandum insuper etiam, quam primum hoc vel illud debitum consecutus fuero, palmarium praestabo; ob summam incertitudinem nec determinatam quantitatem, talis promissio perexigui momenti erit, *a. l. 17. C. Mand.* Salarium Aduocatorum quidem in Jure Romano certam determinatamque summam habet, quae per *l. 1. §. 12. ff. de extraod. cognit.* centum aureos s. dena sestertia, GRONOV. de *pec. vet. l. 2. c. V.* excedere non debebat, sed de palmarii quantitate nihil expresse constitutum reperimus. Et, li-

cet

cet BRVNNEMANNVS *ad d. l. ff. statuatur dictam*  
*legis determinationem ratione quantitatis licitae*  
*etiam ad palmarium post litem finitam datum et*  
*promissum, extendendum esse, et si ultra legitimam*  
*illam quantitatem aliquid palmarii nomine datum*  
*fit, excedens illud per conduct. sine causa repeti*  
*posse; magis tamen eorum mihi probatur senten-*  
*tia, qui existimant, nullam iuris dispositionem re-*  
*probare gratitudinem, qua Cliens Aduocato fidoque*  
*patrono palmarium legitimum, etiam salarii quan-*  
*titatem excedens, offert atque promittit. FARINAC.*  
*pr. crim. qu. 106. n. 52. Allegata enim a BRVNNEMANNO*  
*l. 3. C. de postul. non de palmario sed sa-*  
*lario, et l. 1. §. 12. ff. de extr. cognit. de salario pal-*  
*marii nomine promisso agit, imo supr. Appell. jud.*  
*in causa Joh. Charitas S. contra Hans Heinrichen von B. Termin. estivo. 1693. facta recogni-*  
*tione documenti, in quo palmarium ultra summam*  
*centum thalerorum, wegen verglichenen und ge-*  
*endigten Processen, promiserat, reum l. 1. §. 12. ff. de*  
*extr. cognit. obiciientem ad solutionem condemnasse*  
*testatur RIVIN. in Enunc. Juris ad O. P. Sax. p. m. 70.*  
*Hoc tamen probe notandum est, quod palmarium, si*  
*500. solidos, i. e. 1000. thaleros grauioris monetae in*  
*his terris CARPZ. p. 2. C. 12. def. 12. WEHNER. Ob-*  
*servat. pract. voce Gold-Gulden excedat, perinde*  
*ac in reliquis donationibus l. 36. §. 3. Cod. de dona-*  
*tionibus*

tiones insinuatione non indigent. *l. 34. pr. C.*  
*h. t.*

§. XII.

Peracta igitur causa, palmarioque certo Aduo- Actiones qui-  
 bus Palma-  
 rium lite fini-  
 ta promissum  
 petitur.  
 catis pure promisso, statim inde obligatur Cliens,  
 illudque recusans vel actione ex stipulatu, vel con-  
 dictione ex lege conuenitur, prior adhibenda est  
 si stipulatio promissioni interuenerit, altera *ex l. 35.*  
 §. *f. Cod.* si nudo pacto, citra stipulationem, pal-  
 marii praestatio promissa, et non ipsum tantum Do-  
 natorem sed etiam haeredes eius, imo haeredes do-  
 natarii ex hac lege teneri affirmat BRVNNEMAN.  
*ad d. l. Cod.* Cum etiam utraque conditio stricti  
 iuris sit, ill. MENCK. *Synops. Theor. et pr. ff. L. 39. t. 5.*  
 §. *13. p. 818.* vsuras ex mora hic peti non posse facile  
 liquet. *arg. l. 32. §. 2. ff. de usur.*

§. XIII.

Amplam denique quaestionum segetem apud Quaestiones  
 miscellaneas de  
 palmario pro-  
 misso.  
 eos, qui palmarii promissionem ante litem coepram  
 validam pronunciant, inuenimus, sic v. g. disqui-  
 runt, si quis Aduocato suo legitimum salarium, et  
 si vicerit, centum vel quinquaginta promiserit,  
 non adhibita palmarii voce, vtrum recte palma-  
 rium promissum dicatur nec ne? FARINAC.  
*quaest. 106. n. 43.* sed otiosis quaestionibus et  
 hanc adnumerandam esse iudico, quia pal-  
 marii promissio non ex nudis vocabulis sed paci-  
 scientium mente diiudicanda est: iam vero, cum  
 adhibito vocabulo *si vicerit* cliens voluntatem suam  
 C ani-

animique sensa satis declarauerit, nulla ratione video quare et ipsi palmarii praestatio non iniungenda sit. Huic non absimilis alia quaestio: an nuda Clientis in rationibus facta annotatio e. g. Caio Advocato meo palmarium triginta aureorum soluam, sufficiat, quod quidem *arg. l. 26. ff. de donat.* negatur, cum nuda ratio debitorem non faciat, et verba sine conuentione aut pactione dicta atque scripta, citra acceptationem donationem non probent. *a. l. 19. §. 2. ff. d. donat. l. 38. ff. d. donat. mort. caus.* Porro quaeritur, si Clientis, qui Advocato suo in victoriae euentum palmarium promissit, pro parte tantum victor existat, et non tota rei summa sed tantum pars quaedam ipsi per iudicis sententiam adjudicata fuerit, an Aduocatus totum palmarium, an vero solummodo partem eius consequatur? de qua quaestione cum SPECKHAN. *Cent. 2. class. 4. quaest. 42.* prolixè egerit, ne actum agamus, Lectorem beneuolum ad eum ablegamus, in hac voluntatis quaestione, si ea ex circumstantiis non satis appareat, multum prudentis iudicis arbitrio, ita tamen ut cliens haud temere oneretur, relicturi. *a. l. 32. ff. d. usur. l. 1. §. 2. ff. d. jur. delib. l. 34. ff. d. R. I.* Tandem & haec addenda videtur quaestio, an palmarium praestandum sit, si aduersarius liti cedat, aut lis amicabili compositione et transactione finiatur? Priorem casum quod attinet, ubi aduersarius liti cedit, omnes vno ore fatentur distinguendum esse, an aduersarius motu proprio, et rite examinatis fin-  
gulis

gulis circumstantiis, rem litigiosam Actori, qui Aduocato palmarium promisit, restituerit, an vero singularis Aduocati prudentia atque indefessum studium eo rem perduxerit, vt aduersarius liti renunciauerit: prius si factum, palmarii promissionem ipso iure euanescere *arg. l. 4. §. ul. ff. de pact.* satis apparet, quod secus est in eo casu vbi Aduocati opera studioque aduersarius liti cessit. Idem etiam obtinet in amicabili compositione et transactione; si enim Aduocatus Clientis sui iura adeo solide deduxerit, vt aduersarius manifeste conuictus sit, certissimam adesse spem, Actorem reportaturum esse victoriam, eamque ob causam, ad evitandas processus molestias, amicabilem compositionem liti praeferat: planum est atque apertum, Aduocatum palmarium, sibi in euentum victoriae promissum optimo iure exigere posse. Reliquas vero quaestiones, quas longo agmine adducere possemus, quibusque effingendis excogitandisque alii incumbunt, lubens praetereo, partim quia vnicuique in palmarii naturam reliquasque circumstantias animum sollicitate intendenti haud difficilis earum solutio est, partim etiam quia per prudentissimam novissimae ordinationis Saxonicae processualis dispositionem, omnes de palmario pactiones prohibitaе, adeoque quas adduximus, quaestiones, multaeque, quae adhuc adiici potuissent, in Saxoniae nostrae foris propemodum inutiles redditaе sunt.

## §. XIV.

*Iure Canonico  
non prohiben-  
tur pactio-  
nes de palmario :*

Transimus ad Ius Canonicum, quod filere de palmarii promissione deprehendimus, adeoque a Iure civili haud recedere existimatur *c. 1. X. de nov. op. nunc.* Conceditur autem eodem iure pactis nudis efficacia, *c. 1. X. de pact.* quae tamen aliis textibus restringitur. Sic *c. 8. X. eod.* monstrat pactum turpe vel rei turpis aut impossibile de iure vel de facto nullam obligationem inducere, et *ex reg. 64. in 6.* scimus, quae contra ius fiunt, pro infectis haberi. Ut adeo peccare non videantur neque contra Canonum placita delinquere, qui, modo fraudes absint et alia conventiones de palmariis infrigentia, ante litem motam vel causa peracta, praemia petunt a Clientibus aut promissa exigunt. Vbi enim nulla prohibitio, ibi, si legum naturalium norma non laedatur, permissionem adeste, non dubitatur.

## §. XV.

*Iuramento au-  
tem non con-  
firmantur il-  
licitae.*

Non praetermittenda est hoc loco quaestio: an in casibus non permissis iuramenti accessione, quod ab initio vitiosum erat, convalescat. Varias Jctorum sententias hac de quaestione affert LAVTERBACHIVS *cit. diff. §. 35 seqq.* et anxius haeret quae via tenenda sit in tam spinoso negotio. Sed meo quidem iudicio affirmari non potest, conventiones illicitas iureiurando confirmari. Egregie in interpretatione illius Brocardici: omne iuramentum servandum esse, quod salva salute aeterna servari potest, versa-

versatus est B. LVDOVICI in *dissertatione erudita de genuino illius Brocardici intellectu*, qua inter alia ex c. 26. X. de iureiur. monstrat, veram iuris Canonici sententiam esse, ut negotium sit licitum, super quo interponitur iuramentum. Recte enim d. *dissert.* §. 5. insert: quemadmodum de re illicita non potest iniri conventio: ita quoque illa conventio nulla, nec iuramento confirmari poterit. Illicitum autem non solum illud dici quod legibus divinis improbatur; sed etiam quod leges humanae subditis interdiciunt, et huius intuitu eorum libertatem restringunt. Praesupponit etiam regula iuris canonici actum validum, non vitiosum, cui non maiorem vim conferet iuris iurandi religio. Conf. Ill. BOEHMERI *Ius eccles. protestant. ad Lib. II. Decret. t. 24. §. 24.* Hinc negativa verior est, prohibita nimirum haec pacta ne quidem iuramento corroborari, quae etiam Iuris civilis sententia est in l. 7. §. 16. ff. d. pact. Cui regulae eo firmius inhaerendum, si interesse publicum adsit, quo urgente REX noster Potentissimus cambia eorum, qui 25 aetatis annum nondum adimpleverunt, obligatoria non esse, licet iuramento corporali confirmata sint, declaravit. *Mand. de d. 2. Apr. 1724. wieder das Aufborgen junger Leute. N. 26. Beyl. der Pr. Ordnung §. 1. p. 189.* Iungi possunt propositis et in subsidium vocari l. 5. §. 1. Cod. de Leg. et iuramentum Advocatis Saxonice *Mandato Regio de d. 12. Apr. 1723. impositum Beyl. der Pr. Ord. n. 8.*



Addi etiam potest *Mandat. Reg. de d. 29. Dec. 1718.*  
wegen der *studiosorum Wechsel-Briefe.* *Benf.*  
der *Pr. Ord. n. 25. p. 184.* verb. Wenn gleich in  
solchen *Wechsel-Briefen* die *Clausula iuratoria*  
enthalten. ut taceam ex iureiurando, ad purgan-  
dum vitium pacti adhibito, magnam iuramenti  
dolo adhibiti emergere coniecturam. *a. l. 5. §. 1. C.*  
*d. legib. l. 41. ff. ad L. Falc. j. c. 28. X. d. iurei.*  
*l. 23. §. 1. f. C. mand. l. 29. ff. d. legib. l. 7. §. 3. ff. ad*  
*SCr. Mac.*

## §. XVI.

*Ordinatio Pro-*  
*cessus Saxonici*  
*novissima pro-*  
*hibet palma-*  
*ria stipulari.*

Tandem ordinis ratio imperat ut addamus  
Ordinationis Processus Saxonici novissimae disposi-  
tionem, qua sub poena nullitatis, ob abusum con-  
ventionum de palmario, et ex rationibus arduis a  
*Potentissimo Legislatore* interdictum est Advocatis in  
casum victoriae vel finitae litis Palmaria vel Honora-  
ria peculiaria stipulari: clientibus tamen libertate re-  
licta, iis, qui causarum Patrocinium fideliter gesse-  
runt, peracta lite, libera voluntate gratum animum  
testandi. Inferemus ipsa Verba memoratae legis ex *O.*  
*P. S. E. N. Tit. III. §. 1.* Also wollen wir hiermit,  
aus bewegenden Ursachen und wegen des öf-  
ters versührten Mißbrauchs denenselben gleich-  
falls in casum victoriae oder finitae litis, abson-  
derliche Palmaria oder Honoraria zu stipuliren un-  
tersaget, und da es nichts desto weniger gesche-  
hen sollte, alle dergleichen *Pacta* und *Verspre-*  
*chun-*



chungen hiermit vor ungültig erkläret haben. Doch bleibet denen Clienten nach geendigten Proceß, aus freyen Willen gegen ihre Advocaten, so ihnen in ihrer Sache treulich gedienet, ihre Erkänntlichkeit zu erzeigen unbenommen.

§. XVII.


Possent exinde, controversiis diversa sententium hac clara lege suo modo sublatis, superflua videri quae supra de palmario Advocatis promissa tradita sunt. At vero non sine fructu suscipi eiusmodi disquisitiones respectus ad alia Germaniae territoria docet, quorum iudicia non Saxonicas leges, sed domestica iura, vel Romanas leges sequuntur, quae etiam a Dicasteriis Saxonis si Acta ad ea transmittuntur observari debere, extra dubitationis aleam positum est. Reliqua quae affinitatem quandam cum themate nostro habere videntur, velut pactum de quota litis ab aliis iam tractatum, sponsiones, aliasque conventiones, brevitate studio non tangimus, sed aequo L. B. iudicio consili, acquiescimus.

*Conclusio.*



NOBI-

NOBILISSIMO atque CLARISSIMO  
DOMINO  
M. ADRIANO STEGERO  
PRAESES.

 Vanto feruore Philosophiae praecepta Legum prudentiae, felicitate ingenii adiutus, iunxeris, testes esse possunt omnes, qui TE norunt, atque acquisitam, quae indies augetur, eruditionem, haut vulgarem, sunt mirati. Cathedram Philosophicam in qua sub Praesidio Summe Reverendi IAENICHII foriiter steteras, vix dereliquisti, cum etiam Iuridicam salutare placuit, quae TE nuperrime ex Gymnasio Polemico Menckeniano, meo ductu, disputationes quasdam masculae defendentem vidit, vidit quoque aliquoties non sine laude impugnantem. Sed haec praeludia erant futurorum laborum, neque mens TVA Illustrium Maiorum vestigia premens, tam artis limitibus circumscribitur. Cuius rei documento esse potest dissertatio TV Aelegans de Palmario Advocatis promisso, quae TIBI debetur, et primitiarum felicitum nomen facile tueri potest. Gratulor ILLVSTRI PARENTI TVO, cuius merita laude mea maiora sunt, de educationis, summa cura susceptae, fructibus vberrimis. Maiora sentiet, ita precor, senectutis, quam vegetam largiatur supremus rerum Arbiter, ex obsequio TVO et diligentia indefessa, solamina. Gratulor etiam TIBI de via virtutis, quam ingressus es, spinosa quidem, sed ad honores ducente. Et mihi denique gratulor de occasione, quam suppeditas, ILLVSTRI PARENTI obseruantiam, TIBIQVE inserviendi studium declarandi.





Leipzigs, Diss., 1725 A-0


ULB Halle

005 359 309

3







2. 13.

1725, 14.

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
PALMARIO ADVOCATIS  
PROMISSO

QVAM  
INDVLT V  
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
DN. FRIDER. ALEXANDRO  
KVNHOLDO

J. V. D. TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REG. JVR.  
PROF. PVBL. ORDIN.

D. XXVII. MARTII M DCC XXV  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

M. ADRIANVS STEGER  
LIPS.

LIPSI AE  
LITTERIS IMMANVELIS TITII.

*B. M. Köcher*